



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VII. Non debet archidiaconus praebenda carere in ecclesia, in qua est  
archidiaconus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179. vicariam ecclesie de Buruelle, a qua 29. annis retrocessit, in diuersis postea ecclesiis personatum adeptus, multipliciter vexare ac fatigare presumit. Quia igitur non est canonum, ut qui curam animarum in diuersis habet ecclesiis, fiat vicarius in alienis, discretioni tuae, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita, si ita esse noueris, praedictum presbyterum a petitione praedictae vicariæ desistere, appellatione & occasione remota, districtius compellatis: non obstantibus literis, si quas tacita veritate per nuntium aliquem a nobis impetravit: extirpari enim debent, quæ de auaritiæ radice procedunt, & Canonum sunt contraria sanctioni.

CAP. VI. *Idem Eboracenſi archiepiscopo.*

Fraternitati tuae duximus respondendum, ut si clerici qui in ecclesiis tuae iurisdictionis beneficia sunt adepti, ad aliam dioecesin absque tua conscientia & assensu morandi causa transierint, beneficiis quæ a te habuerint, liceat tibi eos spoliare, nisi forte disciplinis scholasticis intuigauerint, aut causam rationabilem tibi ostenderint, quare reuerti non debeant. Præterea clericos alterius dioecesis absque literis commendatitiis episcopi sui, nisi pro eis preces aut mandata sedis apostolicæ receperis, non teneris nec etiam debes recipere.

\*f. Lin-  
colnienſi  
C. CAP. VII. *Idem G.\* Nincolnenſi electo.*

De multa liberalitate credimus prouenisse, quod dilectus filius noster S. archidiaconus de Norhantuna, praebendam, quam habebat in ecclesia tibi commissa, libere tibi concessit, ut eam dilecto filio G. nepoti vestro conferres. *Et infra:* Quoniam igitur nulla ratione sustinere possumus, ut memoratus archidiaconus dispendium patiatur, vnde gratiam tuam & nostram meruit obtinere, vbi ius præbenda sua cesserit G. ut vestram possit perficere voluntatem: fraternitati tuae, &c. *ut supra:* Cum rationi & ecclesiastice institutioni contrarium sit, ut archidiaconus præbenda caret in ecclesia, cui noscitur in archidiaconatus officio deseruire, non honestum sit tibi, promissionem tuam tam honestam reuocare.

Oooo iii